

tur, rationem, qua quid fieri solet, in acquirendo rerum dominio vel alio quocunque iure rationem, qua id acquirimus, vocamus modum acquirendi, sicuti modum eundi, saltandi, disputandi dicimus. Quum autem dominium quis acquirere, vel ius quoddam nequeat, nisi legum auctoritate, ipsis legibus quoque finiri debet ratio & modus, quo ius quodque acquiri possit, nec potest modus acquirendi sine legum auctoritate fingi. Modum ergo acquirendi dum dicimus, intelligimus iustum, seu lege & iure probatum. Nam ex iniusto facto dominium acquiri nequit. Acquirimus autem dominium interdum *ἀμέσως* lege, interdum facto demum interueniente. Facta vero illa non nunquam ita comparata sunt, vt varias causas acquirendi dominii sub se comprehendere possint, cuius generis est traditio, quae multiplici ex causa fieri potest. Quod si contingit, ex solius huius facti mentione facta nondum apparet specialis iuris ratio, ob quam mediante facto illo dominium acquirere iuste potuerimus, quare tum opus est, vt hanc indicemus, quod dum facimus, titulum nos designare dicimur, v. c. dum dicimus: tradita mihi res est iure emtionis, permutationis, donationis. Contra vero, si facta adeo simplicia sunt, vt vnā tantum admittant causam acquirendi dominii iure stabilitam, opus non est, vt hanc in specie quaeramus aut speciali nomine designemus. Ita si occupatione dicimus nos rem acquisiuisse, hoc vno verbo & factum & ius complectimur, ideoque necesse non est, vt specialem titulum
 | indice-